

## II.

# REGNUM MORTUORUM.

Nro. 69.

---

*Secretum litterarum commercium inter Vivos  
et vita functos.*

Joanni Buridano — in Elysio.

Ex mundo superiore.

---

Elysium-Meum, Die Veneris, 28 Sept. 1810. (Neov. 14. Sep. 1810.)

---

Quæres fortassis Buridane suavissime! ut se res habeat cum *Dialectica*? — Ea nominis mutationem subit, atque hodie *Logica*, latine — *d'Arina rationis* audit.

Nomen nihil ad rem. — Verum est quidem: *Dialecticam* artem fuisse colloquia instituendi. — Vetustissimi Philosophi institutiones suas per quæstiones & responsa dabant ita, ut magister discipulo, qui ei operam dedit, quæstiones, quibus responderet, proposuerit, ex quibus responsis ille ultiores conclusiones deduxit. Subin Syllogismi in philosophando invalere, postmodum sophismata. — Exempli gratia: tiburcinator philosophicus vice quadam temperantiæ sanctimoniæque dedito viro demonstrare voluit: se helluando & tiburcinando ad Coelum venturum; — mirum! ut rem adgressus? sequente sorte: qui bene bibit,

bene dormit, qui bene dormit, non peccat, qui non peccat, venit ad Coelum. Ergo qui bene bibit, venit ad Coelum."

„Ut placet hæc Dialectica? non male, qui *Bacho litat, Olympum penetrat!* — Hæc sorites digna sane est, quæ aureis litteris parietibus tabernarum vinariarum insculpatur, ut tiburcoinantium generosa Cohors de Coelestibus præmiis gratulari possit. —

Sed alio exemplo rem illustrare lubet: accidit ut *studiosus* quidam *amabilis* pro fertis autumnalibus lares repeteret. — Inter conandum quærit ex filio sollicitus, curiosusque pater: quid in schola didicisset? —

*Frugalem*, reponit nequam adolescens, duntaxat *Philosophiam*, prout & *victus*, quo usus eram, *frugalis* solum fuit."

„Equidem, reponit pater, nunquam studui, sciendi tamen per essem cupidus: quid tu dilecte nate! in philosophico tuo ludo didiceris; id ipsum cupere se adfirmabat curiositatis plena mater. In mensa tunc forte tria ova aderant; Filius, dialectico spiritu quasi percitus; super trinis ovis hunc in modum ratiocinatur:” en! pater amande! ova 3! demonstrabo tibi: quina adesse. — „Id quidem audire aveo” reddit senex; „dictum putata! ubi tria, ibi & duo; duo & 1 a sunt quinque, ergo, hic sunt ova 3, ergo & 2, sed  $3+2=5$ . ergo sunt hic 5 ova. *q. s. d.*

Bene, optime, ut nihil supra! exclamat seniculus pater, ergo Philosophia est ars ex 3 faciendi 5! — Sed jam liceat mihi

meam frugalem dialecticam opponere: tollo  
bina ova ex quinis, tertium do matri tuæ,  
cum reliquis duobus, quæ philosophando  
eruisi, te liberaliter pascos, precamur."

Ita se hodie cum Dialectica habet, —  
abusus ejus arguuntur, carpuntur, utilitas  
reticetur. Argumentandi per syllogismos, —  
in: *barbara celarent* &c. — ratio, Pacuvii avis,  
tritavi que relicta. Alia tempora alia Dia-  
lectica.

Ast, quæso, quorsum Dialectica Ari-  
stotelica, Scholasticorumque confugit? —  
Extorris Europæo solo, petiit Americam,  
in qua apud Colonias Hispanorum, & in eja-  
tibus scholis magnopere floret; illa est regio,  
in qua secundum: *Barbara celarent* adhuc dis-  
ceptationes instituuntur, imo de præsentino-  
va revolutio & syllogismis elicitur. Et res  
profecto mira; — in veterè hæc argumentan-  
di methodo, Colonistæ Hispani, prout Cl.  
ab Humboldt animadvertit, majore mentis in-  
geniique cultura pollent, quam Anglicanum,  
Hollandicum & alia regimina. Aequiformis re-  
ligiosus Cultus Civitate donatus, cui Hispania  
Colonistas suos conformaverat, pluri-  
mum ad æquiformitatem morum, & animorum  
consensionem contulerit. Jam ampli Status  
ibi enascentur, cum a matre Civitate segre-  
gati, Independentiam suam tueri velint.

Lubet in nexu quædam ex America No-  
va summatim intexere:

*NeoEboraco* (5. Maji ex ejatibus Ephem.)  
Colonia Britannica Nova Scotia in America,

ejus metropolis Halifax, continuo florentem statum præsefert. Ejus silvæ, ut vicina Canadæ, abundant ligno extruendis commercialibus, bellicisque navibus territorii metropolitani aptis, ut ultra 20 annis suppetiis ex mari Balthico advehendis plene carere possit, operarum pecuniarumque solummodo defectus est. — Status hic felicior est, quam Status foederatorum, in quibus furor factionum, & licentia plebis personalem libertatem, proprietatemque bonorum in discrimen adducit; ora Novæ Scotiæ omnis generis piscibus abundat. 20 librarum Salmovix dimidio Dollarone vaenit, ejusdem ponderis salpa 10. Den. (Penœ) duodena *Camarorum* (Cancrorum marinorum) Gadi Aeglesini (Schellfische) seombri, (Macrellen) haleces, sturiones, aliique insignis saporis pisces proportionatim admodum levi pretio sunt.

*Reverendia in Pennsylvania.* — Ex procellis, quæ Europæum orbem vestram tam miserandum in modum convellunt exagitantque, isthic beati nos, qui procul negotiis, vix levem dissitum intelligimus susurrum. Vivitur hiee in sinu almæ pacis, quamquam non semper contento animo. Fruimur præcipuis vitæ bonis: libertate, tranquillitate, Jure, & hilari futuro rum spe; deest quidem nonnullum, quod haudquaquam aspernandum, bonum. — De progressu litterarum & artium nihil comperimus. — Libri ad pretiosissimas raritates adeo pertinent, ut vulgaris apud vos

liber, v. g. reformatus Cantionum libellus, sesqui tertio Florenno veniat. Ego cum modica mea scientia jam celebrer habeor eruditus. Rendingii quidem nuper admodum Bibliopolum conditum est, at ex recente Germanica litteratura in eo nec vola nec vestigium. *Arndtii* verus Christianismus. — Coelestis in Deo voluptas — *Habermannii* libri precum. — Psalterium. — *Anima errans*. — *Kempis* minor. Hortulus Paradisi, *Hollatseni* ordo gratiarum. Bellum sacrum, — Manuale Apocalypsum &c. Rendingiana eruditorum Societas variegata mixtura constat exterorum, & praeve ob finem bonum duntaxat laude omni digna; quaedam mathematica physicaque instrumenta, selectosque libros ex omni scientiarum genere nunc ex Germania sibi adferri curat. Medicorum quoque magna apud nos penuria; quamquam dici possit regio nostra verum Podaliriorum Elysium. At Medicam Chyrurgia & Pharmaceutice coniungere oportet. Medicum oportet Pharmacopoeiam possidere, rupturas ossium curandi sciam, obstetriciae peritum, in summa: Omnia nosse, & posse.

Commetaneus noster *Generalis Robert*, opulentus vir, *militariam* profiteatur. America generosorum *Cincinnati* adhuc Copiam habet. — *D. Schneider* de praesenti Gubernator *Pensylvanicae*, honestus professione sua *alutarius* ad triennium electus est, quo exacto, supremus Status *Pensylvanicae* Officialis depositis fascibus pacato animo Officinam fassaque coriarias suas repetet. Quivis rectum

erum ordinem reperit, & patria incolaque bene habent.

At brevipost Europa aliis orbis partibus carere poterit. Gallicæ paginæ hanc Galliam inter Angliamque *pararellam* ducunt.

*Conferantur hæc puncta:*

1) *Intuitu redituum (Fmantiarum).* Anglia ultra 300 mill. reditus habere nequit, habet eorum 1500, at 300 opes ejus representant, & 1200 mill. proventus sui monopolii. — Ex quo sequitur: quod si quodam ulloque modo Anglia in quæstuosis negotiis impediatur, curam cambialam adversum habere debeat; sibi sufficiens amplius non sit, chartacea opus habeat pecunia; Papyracea pecunia naturalis inevitabilisque sequela est apud gentem, quæ, ut Anglica, arte partum reditum sibi procurare debet. Anglia 600 Mill. debitorum Census persolvendos habet, duplum qui genuini ejus proventus efficiunt.

*Gallia.* — Gallia 800 Mill. pacis tempore habet redituum, qui duæ duntaxat tertie summæ, cui belli tempore procurandæ par est, quævis rubricæ in 30 pro Cento elevate largiuntur summam proventuum 1200 Mill. omnes territorii sui productivi proventus sunt.

Census debitorum 50 Mill. i. e. 16. partem ordinariorum proventuum suorum solvendum habet. Ex quo elucet: Galliæ nullam papyraceam pecuniam esse, nec opus habere. Considerari potest, ceu dives prædii Conductor (Arendator) qui quibuscumque opus habet, in conducto a se prædio repe-

rit. Commercioli duntaxat eorum medii dividendorum suorum productorum indiget.

2) *Intuitu Commercialium relationum.* *Anglia.* Cum Angliæ vires in quæstuosis negotiis consistant, commercium ejus consistit in venditione productorum novi orbis. Demonstravimus:  $\frac{4}{5}$  ejus proventuum ex ea promanare. Coffea, Saccharum, Indicum, ligna tinctoria Indica texta, opes ejus efficiunt, omnis ejus fortunarum status a perceptione horum productorum ex utraque India pendet, atque a distractione eorum per Europam. *Gallia* — Gallia rationem status continentalem habet. Reditus ejus ipsi insunt; productis suorum agrorum, vinearum, oleorum, saponis, herbæ nicotianæ, fabricarum serici suarum, lini, gossypii suarum australium provinciarum. Prout reliqui Continentis, ita & ejus interest utriusque Indiæ merces relegare, beneficiumque naturæ in usum convertere, quæ liberali manu veteri orbi satis largita est, ut novo carere possit.

Jam etiam reapse opposita Anglicano quæstui impedimenta id consuetarium habebant, ut consumptio Sacchari, Coffeæ & Colonialium mercium ex triennio in Europa dimidia parte imminuta sit. Factæ in Gallia novæ detectiones suppleant, & vices obeunt Colonialium mercium. Saccharum ex Uvis levioris ac arundineum tempore florentissimi cum Colonialis pretii fuit. Gossipium Neapolitanum, & Romanum excellentius est Americano.

### B I O G R A P H I A.

Joannes Buridanus celebris Sæc. XIV. Phi-

Iosophus, natus Bethuniæ C. Artesiæ urbem. la haud ignobili. An. 1320 Beſtor Uniuerſitatis Pariſienſis *Dialectica* inclaruit, atque opere ſuo: *Commentario in Ariſtotelem* minus, quam ſuo: *de Aſino, ſophiſmate* celebratus eſt; in hoc ſtatuit *hypotheſim*: unum ex hoc brutorum genere, fame perinde ac ſiti in æquali ratione torqueri; utrumque, tam faſciſculum foeni, quam cadum aquæ in æquali quantitate & diſtantia, ei propinatum æqualem in ejus ſenſuum organa actionem exerere; *his ſuppoſitis*, quærit clariffimus hio vir „quid aſinus adurus eſſet?“ Medici ingenii hominibus, reſolvere *nodum Gordium* volentibus reſpondendo: cum immobilem conſtiturum — tum concludit: *Ohe! aſino in medio foeni Eſt aquæ fame ſitique pereundum!* reſpondenti: „hio aſinus clariffime Doctör! non tantus aſinus erit, ut in hoc rerum ſitu fame ſitique pereat! — concludit: ergo in unam potius, quam alteram partem inclinabit „*ergo aſinus libero gaudet arbitrio.*“

Sophiſma hoc maximos illius ætatis viros perturbaverat, anxiosque reddidit, quò factum: ut *Aſinus Buridani* omnium ex Schola ejus longe celebratiſſimus fieret.

Subtilis hæc *Dialectica* caro ſtetit cuctori ſuo, etenim: cum ad *ſectam Nominolium* pertinuerit, a *Realibus* perſecutionem paſſus, in Germaniam ſalutis gratia ſe recipere adactus eſt. Addit, has controverſias memorans *Aventinus*: Buridanum Vindobonenſis Uniuerſitatis cunabula jecille.